DE BLENNORRHAGIAM INTER ET BLENNORRHOEAM SEXUS...

Sante Astolfi

DE

BLENNORRHAGIAM

INTER ET

BLENNORRHOEAM

SEXUS UTRIUSQUE GENITALIUM
DIFFERENTIA

Dissertatio Inauguralis

QUAM
AD MEDICINÆ LAUREAM
IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO
RITE ADSEQUENDAM
TRADIT

SANCTES ASTOLFI
RHODIGINUS

PATAVII
TYP. CARTALLIER ET SICCA
1838

Fanetti

240

Digitized by Google

De blennorrhagiam inter et blennorrhoeam genitalium sexus utriusque essentiali differentia.

Penitus penitusque tum e latere historico, cum theoretico practicoque evolutum argumentum pertractare nonnullis profecto, libellum hunc fortasse lecturis, supervacaneus, ne dicam stultus, videbitur labor; quamobrem antequam sermonem suscipiam, quem moris magis gratia, quam inconsulta disserendi cupidine sum oblaturus; mei est, ut propositum meum illico enunciem. Ne itaque magna novaque moliri, sententias observatione et judicio confirmatas oppugnare, atque in medium quid producere ex quo legentium curiositas acuatur velle censear; ex causis blennorrhagiam et blennorrhoeam inducentibus, symptomatibus concomitantibus omnecumque morbi stadium, sequelis inde manantibus; desiderium mibi in animo surrexit pauca tradere, quae utrum blennorrhagiam inter et blennorrhoeam genitalium sexus utriusque essentialis differentia adnotanda occurrat probent; atque ut magis magisque quid sim dicturus innotescat, de proprietate denominationis praesertim relate ad morbum generatim consideratum, ab ejus pathogenia deprompta, fusius loquuturum solemniter polliceor. Quod magni non esse momenti primus ego defendo; sicuti autem technologia in re scienti-

34.5

fica ad notiones adipiscendas plurimum conferant, abs re nun esse reor inquirere, num, quemadmodum Swediaur palam ostendit, apta denominatio faciliorem discentibus sternat viam. Morbi de quo verba facere sum paratus denominatio generalis longe ac apud recentiores diversa erat apud veteres, qui fluxum quemcumque e pudendis, fluxum seminis in sexu utroque nuncupabant. Temporis autem processu, incongruo tali demonstrato nomine, pathologica atque therapeutica simul cogitata varia emerserunt; fluit inde ut aptam determinare quavis in scientia technologiam perutiles pariat effectus. Mihi ergo quaerere rationem ob quam blennorrhagia potius quam blennorrhoea fluxus peculiaria e genitalibus manans dicatur proposui, et ab hocce examine, causarum, symptomatum, effectuumque complexum morbo utrique, ubi talis sit, proprium adsignare.

Mucosa ex partibus genitalibus profluvia ab antiquissimis medicae artis cultoribus observata fuisse nemo est qui ignoret. Errabant vero patres nostri quotiescamque vel ipsius seminis fluxum in hujusmodi morbis dari existimantes, eos gonorrhoeas adpellabant, vel omnes indiscriminatim ex veneris abusu repetebant.

Falso idcirco prae primis fluxus hujusmodi gonorrhoea adpellatur; nomen hoc a graecis verbis γονη, genitura, semen, et ρεω, fluo, originem ducit. Incertum adhuc est num dentur puri seminis fluxus, eo saltem modo, quo mucosi fluxus contingunt, nihilominus ubi eos fieri certe admittatur, conside-

randi potius essent pollutiones diurnae involuntariae, sicuti egregie sententiam veterum clar. Wichmann refutavit (1). Habari tamen licet veteres plurica toto coelo erravisse cum morbum gonorrhoeam nuncupatum continuum seminis fluxum sistere autumabant: perexigna reapse jactura seminis debilitatem, prostrationem moralium physicarumque virium consuete inducit, quod in ordinariis blennorrhoeis minime contingit. Massarias adsert errare omnes qui aegros in gonorrhoea veri seminis fluxum pati arbitrantur, eo quod a fluxu materiei alicujus excrementitiae contra adflictantur. Blennorrhoea interdum per plures et annos diuturna remanet, ita ut si materies evacuata verum esset semen, aegroti citissime in marasmum laberentur, utpote qui venere abnuntur. Qua de re qui fluxum e genitalibus gonorrhoeam indiscriminatim putabant, iis quae in Levitico a Moyse ad hoc dicuntur omnino adhaesisse videntur, nempe: *Vir qui patitur fluxum seminis immundus erit; — Et tum judicabitur huic vitio subjacere cum per singula momenta adhaeserit carni ejus, atque concreverit foedus humor* (2): si melius ergo illud per *singula momenta* animadvertissent, error multis antehac saeculis fuisset ablatus.

Descriptio Blennorrhagiae.

Swediaur, nisus opinioni materiem fluxus genitalium merum esse mucum, majori justo copia

(1) H Wichmann. De pollut. diurna involunt. Dissert.
(2) Levit. Cap. XV. v. 2. 3.

6

a folliculis suppeditatum, quum insuper uno sub nomine cunctos venereos fluxus e diversis membranis mucosis procedentes complecti vellet, pro inflammatione earum acuta illud *blennorrhagiae*, pro chronica autem illud *blennorrhoeae* proposuit, quae brevi universim accepta fuere. Nos itaque, practicorum consuetudini haerentes, quam pro venereo fluxu denominationem Swediaur proposuerat pro caeteris quoque admittendam esse arbitramur.

Blennorrhagia a βλέννα, mucus et ῥήγνυμι, vehementer fluo, quin aliunde fluxus causam indigitet, aut peculiarem morbi sedem determinet, morbosis cunctis membranarum mucosarum secretionibus convenire posset, adsit vel desit phlogosis; post autem edita Swediaur (1) scripta, nomen hocce ad fluxus vario gradu phlogisticos canalis urethrae, aut glandis et praeputii in viro, vaginaeque et interdum urethrae in muliere denotandos hodie singillatim inservit.

Blennorrhagia in viro.
Blennorrhagia urethralis.

Hujusmodi morbosa adfectio insignitur sequentibus symptomatibus et characteribus, videlicet: peculiari quodam fluxu mucoso, abundanti, puriformi, ab urethrae canale procedente unâ cum sensu varimode vehementi caloris, dolentisque exustionis in ipso canale, praesertim sub mictu exasperando; multiplices ejus sunt causae, atque in latissimas duas classes dividi possunt, externas alte-

(1) Traité des maladies vénériennes.

ras, alteras autem internas. Primis spectant: cereoli praesentia vel cujuscumque extranei corporis in urethra, injectiones irritantes, equitatio diuturna, onania, coitus cum muliere sub menstruis vel albo fluxu aut ulcere canceroso uteri laborante, coitus ipse nimis repetitus cum muliere prospera etsi gaudente valetudine; immediata denique virus syphilitici in membranam mucosam urethrae adplicatio; harum demum omnium causarum enumerationi influxum quoque frigidae humidaeque temperaturae adjicimus.

Internis adnumerantur: cohibita diuque protracta urinarum retentio, quaedam prostatae tumiditates, praesentia calculi in vesica, ascaridum in recto intestino, cantharidum usus, cerevisiae recentis potus immodicus, dentitio, haemorrhoides, eruptio herpetica aut psorica, arthritis, rheumatismus repercussi, scrophula, cretinismus, vitium denique vetus syphiliticum et universale.

Ex hucusque fatis liquet quamplurimas indolis perdiversae blennorrhagias esse admittendas; aliquae nulla sub conditione contagiosae evadunt; aliae verum determinatis sub circumstantiis communicantur, earumque facultas contagiosa relativa solummodo prodit. Hae duae fluxuum series, a potentiis nocentibus externis haud virulentis provocatorum, nullum penitus eorum continent, qui transmittendo oeconomiae animali principio cuidam morbifico par non sit, unde phoenomena generalia consectaria saepe saepius promanent. Tertia autem in serie fluxus variis a virus, a syphilitico longe diver-

sis, productas conduntur, qui nisi peculiaribus sub casibus, quibusdamque solum individuis contagiosi fiunt; plurima nihilominus symptomata ipsi interdum pariunt consectaria, licet herpetes, eruptiones cutaneas anomalas, aphthas, excoriationes, glandulares articularesque infarctus, et sic porro, pro specialibus causis, e quibus eorum origo repetenda venit. Quarta series blennorrhagiis constituitur, quae facillime propagantur, et quodam peculiari virus progenitae nempe *sui generis*, vel, id ubi libeat, virus blennorrhagico essentiali, videntur, cujus actio seu influxus in canalem omnino exseritur, quia aegrotorum valetudinem tristis nulla sequela minitatur. Quinta postremo series blennorrhagiarum, illas modo complectitur, quas causa syphilitica in medium protulit: hae sunt eminenter contagiosae, atque ubi sibimetipsis committantur, seu qua locales adfectiones pertractentur, syphilidem confirmatam seu universalem inducunt. De hoc fluxu praesertim, utpote qui frequentius occurrit, et discrepantiae adhuc inter rei medicae scriptores argumentum sistit, res postularet est ego fusius loquerer; id autem infra mihi reservo; transitus nunc fiat ad

Blennorrhagiam glandis,

quae nominibus gonorrhoea spuriae, vel blennorrhagiae nothae quoque donatur; et relate ad statum phlogisticum quo locus adfectus detinetur balanitis nuncupatur. In iis tantum individuis contingere solet, quibus glans consuete obtegitur; fluxus quidam mucosus puriformis, e praeputii hiatu manans, ab interna hujusce cutaneae productio-

nis, et externa glandis superficie paratur. Hujusmodi blennorrhagia ab impuro coitu quam saepissime, sicut et illa canalis urethralis propriam ducit originem. Interdum etiam, sed rarius, sponte in viris immundis exsurgit, propter acrimoniam ut ita dicam, a nimis diuturna mora materici unguinosae hasce partes illinienti, illique praecipue a glandulis post coronam glandis sitis secretae communicatam. Hunc pluries morbum comitantur specialis quidam glandis turgor phlogisticus, vario conspiciendus gradu, ejusque superficies colorem intense rubrum sumit, propriaque plurimis in ejus arcae locis epidermide exuitur. Fluxus quo insignitur, qui levissima pressionis ope, hocce ab organo elicitur, eandem exhibet speciem, nempe consistentiam et colorem urethralibus blennorrhagiis communes. Ejus duratio brevior esse consuevit, eo quod frequens urinarum transitus in regione inflammata, sicuti in his necessario evenit, irritationem, fluxum morbosum singulo sub mictu augentem inducere minus valet.

Blennorrhagia in muliere.

Frequentissimus hic morbus occurrit; fluxu mucoso, opaco, puriformi vario inflammationis gradu consociato notatur, atque plerumque a membrana vaginam ejusque orificium vestiente suppeditatur. Materies nihilominus ab interno canale urethrae interdum, et a parte mucosae clitoridem atque tota pudenda operientis procedit. Diversa quin virus, abusus coitus, caeteraeque causae ad

ro

morbum hunc in muliere sicut et in viro producendum pares proprium exserant symbolam; quamplurimae aliae prostant in sexu faemineo peculiares, licet: orgasmus in puellis primam menstruationem praenuncians, stupri conamina perpessa, primi connubii amplexus, frequentes titillationes, clysmatum irritantium abusus, accidentalis subpressio, vel naturalis catameniorum cessatio, graviditas, et sic porro.

Materies a fluxu tradita ei viri omnino similis est; ejus acredo eo evehitur, ut majora minoraque labia excorientur.

Hanc adfectionem, ubi recens, molestus pruritus, quidamque augens tensionis et caloris ad pudenda sensus comitantur; quae irritationis symptomata sub urinae expulsione quammaxime augentur; deambulatio aegre perficitur, sicut et sessio interea intoleranda fit: quod a partium genitalium externarnm tumefactione depedet. Quae omnia quare urinarum transitus raro quin dolores valdopere tota in vulva cieat, eveniat luculenter demonstrant. Silentio praetereundum esse haud reor quoddam phaenomenon muliebribus, earum in cursu blennorrhagiarum interveniente, quod unus pluresve abscessus in majornm labiorum spissitudine sese evolventes, dummodo morbus cum violenta inflammatione gradiatur, constituunt. Medici qui exiguam malorum venereorum seriem vidêre, ubi hic morbus adpareat terrore corripiuntur, quamvis qua novum syphilidis symptoma non sit habendus, neque majorem virus quantitatem in animalem oe-

conomiam intrusam fuisse testetur: mera enim est phlegmone a vehementi mucosae superficiei labiorum genitalium substrato textui cellulari propagata inflammatione procedens. Phoenomena concomitantia, et sequelae blennorrhagiae hic locum postulant priusquam ad blennorrhoeam describendam deveniamus. Inflammatio membranae mucosae ad eum gradum extollitur, ut fluxus penitus auferatur; eo cessante vel adhuc permanente in viro occurrere consueverunt chorda vulgo *incordatura*, orchitis, bubo inguinalis, phimosis, paraphimosis, turgor glandulae prostatae, ophthalmia blennorrhagica; quorum omnium bubo et ophthalmitis sexui quoque sequiori communes esse fuit observatum. Blennorrhagia forte ablata articulationes saepe saepius invadit; genua, cubitus pedesque haud raro deprehenduntur, unde tumores albi, infarctus variae indolis inflammatorii, seu et hydrarti derivantur; herpetes eruptionesque cutaneae quamvariae inde procedunt; irritatio tandem urethrae blennorrhagia correptae organa cuncta per irradiationem infestare valet.

Descriptio Blennorrhoeae.

Si etymologiam vocabuli respicimus, differentia morbi in eo sita est, ut blennorrhagia fluxum vehementem, blennorrhoea contra a ῥέω, fluo, idem phoenomenon sine violentia contingens denotet. Quamvis haec denominatio singulis hujusmodi profluviis adaptari possit, tamen practicorum exemplum sequuti ad fluxum, ut nonnulli dicunt, passi-

vum, organorum genitalium, atque urethrae masculinae praesertim, reservabimus; monentes autem, nostro judicio, leucorrhoeam mulierum blennorrhoeae virorum congrue respondere.

Pauca profecto nobis dicenda remanent relate ad hanc morbi ejusdem magis stadio, quam indoli respectu habito varietatem; causae fere omnes abs quibus blennorrhagia producitur in causa blennorrhoeae saepissime sunto. Blennorrhoea seu fluxus habitualis, si veterum et quorumdam recentiorum etiam sententiae haerere velimus, postremam fluxus blennorrhagici seu *activi* periodum constituit: verbo ab ipsa blennorrhagia, exceptis symptomatibus inflammatoriis, efformatur. Interdum tamen illico et immediate per adplicationem principii contagiosi, vel *cujuscumque potentiae stimulantis* membranae canalis provocatur; vel etiam qua effectus datae internae dispositionis est consideranda, ad quam sententiam sustinendam omnia phoenomena in hominibus syphilide universali laborantibus, scrophulis, herpetibusve adfectis, in quibus hujusmodi fluxus sponte fiunt, contingentia plurimum conferunt.

Urethrae fluxus blennorrhoicus flavescens, albidus, variabilis spissitudinis, puriformis, plus minusve abundans est; in linteis maculas coloris flavescentis relinquit; aliquando verum rubescentes hae maculae esse consueverunt, quasique sanguini admixtae conspectae sunt, quod cum morbus tumore prostatae aut quadam urethrae exulceratione detineatur praesertim in scenam prodit. Talis adfectio

sine dolore neque sensu ardoris evenit; pauci tantum aegroti leves ad extremitatem anteriorem urethrae, praecipue sub mictu spermatisque ejaculatione, pruritus patiuntur. Quomodocumque sit, diversa haec symptomata ad distinguendas inter ipsas varias blennorrhoeas, quod pariter in blennorrhagia fit, minime prosunt; omnes enim eosdem circiter induunt species, quaecumque sit causa unde proficiscuntur.

Blennorrhoeae juxta symptomata aut indolem causarum apud Lagneau in septem dispartiuntur classes; scilicet I.ª blennorrhoeas atonicas; II.ª eas progenitas vel retentas ex localibus incitamentis frequentius repetitis; III.ª ab urethrae coarctatione procedentes; IV.ª ab infarctu prostatico enatentas; V.ª blennorrhoeas ulcerosas; VI.ª syphiliticas; VII.ª postremo blennorrhoeas constitutionales, a generali morbosa oeconomiae dispositione, syphilide, nempe scrophulis, herpetibus, scabie, arthriticis, rheumaticisque adfectionibus procreatas, complectuntur.

Expositis tali pacto differentiis, quae ab auctoribus in hujus morbi decursu adnotatae fuerunt, recensitis utriusque stadii symptomatibus, nam causae et sequelae fere identicae conspiciuntur, nostri modo est, ut promissioni satisfiat, quam superius exposuimus. Ubi septem classes blennorrhoearum a Lagneau propositas attento perpendamus examine, difficile quidem erit blennorrhagiam inter et blennorrhoeam relate ad essentiam et indolem morbi differentiam statuere; prima enim excepta, in qua blennorrhoeae atonicae conduntur, caeterae clas-

ses statum morbi phlogisticum semper esse abunde probant; has autem blennorrhoeas atonicas *ab adplicatione potentiae cujuscumque stimulantis* oriri posse nemo profecto sibimetipsi facile suadebit; incitamenta localia frequentius repetita quare morbum asthenicum producent? nisi phlogisticum saltem irritativum.

Urethrae coarctationes nonne phlogisticum semper sistunt productum? cuidam morborum generi infarctus prostaticus referretur? an vitalibus viribus collapsis, vel potius cumulatae ibi hypersthenieae? Ulcus, syphilis non adeo facile erit determinare nostro in casu num characterem induant debilitatis, statim ac sive primitus, sive secundario effectus penitus contrarios exserere solent. Scrophulas, herpetes, scabiem, adfectiones arthriticas et rheumaticas morbos esse hyposthenicos nemo sane absolute defendere audebit, dum quaevis medendi ratio contra hujus sententiae asseclas luculenter deponat.

Causae igitur e quibus blennorrhoea promanat tales non sunt, ut morbum debilitatis pariant, eo magis dum consideretur quamplurimas illarum quae ad blennorrhagiam producendam pares sunt, in ejusdem blennorrhoeae causa esse.

Differentia itaque blennorrhagiam inter et blennorrhoeam quousque ad peculiare morbi stadium indigitandum statuitur utilis, non necessaria est; cum vero pro varia adhibenda therapia ob mutatam morbi diathesim arripitur noxia plurimum evadit. Meae in auxilium sententiae remedia sat esset enumerare, quae ad blennorrhoeam devincendam usurpantur;

omnia a neothericis inter pharmaca vim vitalem deprimentia coguntur, opio excepto; quod plerumque ab aliis in ipsa blennorrhagia scopo sedante administratur. Clarissimus Tommasini omni cum logica practicaque certitudine probavit: phlogosim, processum esse, qui ubi incoeperit, non amplius a causa qua producta fuit, dependet, si aliter esset irritationem loco inflammationis haberemus; in illa enim ablata irritationis causa, et ipsa irritatio aufertur. Tali admisso principio, uti blennorrhoeam blennorrhagiae sequelam censere velimus, et cum blennorrhagiam indolis esse phlogisticae nemo eatinficias, si methodum stimulantem ad illam debellandam auscipiamus, morbus loco abeundi, idem ac in principio redibit, cum ad hunc regressum ope stimulorum ansa praebeatur. Blennorrhoea juxta classes a Lagneau propositas censa originem cognoscit morbo hypersthenico magis, quam hyposthenico generando propriam: quapropter hisce omnibus simul et sejunctim perpensis, nullam blennorrhagiam inter et blennorrhoeam essentialem differentiam existere, nisi relate ad morbi aetatem, putamus. Gravitas argumenti postularet ut fusius dissererem, et accuratius opinionum variarum examen instituere; hoc esset in votis, sat occasio et forma dicendi me quominus ulterius progrediar vetant.

7411

THESES DEFENDENDÆ

I. Ontologismum respuens optima nosologia.

II. Varia morbi denominatio haud semper in verbis consistit.

III. Virus syphiliticum blennorrhagiam producens, idem ac illud syphilidem universalem generans.

IV. Veneni absentia in cadaverum sectione medico-legali veneficium semper non excludit.

V. Sulphas chininae cortici peruviano haud semper praeferendus.

VI. Nervo et sanguine fibra muscularis praesertim constat.

VII. Torsionis prompta actio haemostatica, e fibrarum arteriarum mutata directione dependet.

VIII. Manna, quae recens nutriens est, per aliquam fermentationis gradum eccoproticam virtutem suscipit.

IX. Qui morbum eundem iisdem medicaminibus a discrepantibus inter se medicis tractari videntes, nullam facto in medicina adesse differentiam arbitrantur, toto caelo aberrant.

X. Textus cellularis caeterorum primum rudimentum.

22 939200

14